



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Nicolavs III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

Bona hereticorum confiscata vendantur, & per quos.

Teneatur præterea Potestas, vel Rector civitatis seu loci alterius, vendere bona fide, cum consilio & assensu inquisitorum vel inquisitoris, bona quæ confiscantur occasione hæreticæ pravitatis, infra tres menses post confiscationem huiusmodi: quod si non fecerit, præmissas penas eo ipso incurrat. Et nihilominus inquisitores, vel inquisitor libere vendere illa valeat, inquisito consilio diocesano, vel eius Vicarij, si præsens non fuerit, & duorum fratrum Prædicatorum & eorundem Minorum ordinum, quos prior & guardianus, si conventus ibidem fuerint, eorundem ordinem, ad hoc duxerint eligendos. Et emptores bonorum huiusmodi illa libere ac licite habeant & possideant: & verum ipsorum bonorum dominium, per emptionem huiusmodi transferatur ad ipsos.

pena non ferri hanc constitutionem.

Si quis autem de cetero aliquid istorum statutorum, seu constitutionum attentaverit delere, diminueri, vel mutare, sine auctoritate Sedis Apostolicæ specialiter Potestas, Capitaneus, seu Consul, vel alius quivis Rector, qui pro tempore fuerit in illa civitate vel loco, teneatur eum tanquam defensores hæreticorum publicum & factorem, secundum formam præscriptam perpetuo publice infamare, atque punire in libris quinquaginta Præventionium, vel Imperialium in pecunia numerata. Quam si exigere non poterit, eum maleficij banno supponat: de quo eximi non valeat, nisi soluerit duplam dictæ pecuniæ quantitatem.

Qui Magistratus iuxta præcedentem Potestatem syndicat.

Teneatur sane Potestas, siue Capitaneus, Consul, seu quivis Rector infra duodecim dies sui regiminis syndicare præcedentem proximo Potestatem, Capitaneum, Consulem vel Rectorem, & eius etiã assessores, per tres viros catholicos, & fideles, quos infra tres dies regiminis supradicti eligant una cum diocesano Fratre Prædicatore & Minore a suis Priore ac Guardiano pariter assignati, seu inquisitores vel inquisitor hæreticæ pravitatis de omnibus his, quæ in statutis istis, seu constitutionibus & legibus antedictis contra hæreticos & eorum complices editis continentur: & punire ipsos si excesserint in omnibus & singulis, quæ omiserint, & cogere restituere de propria facultate, non obstante si per aliquam licentiam Consilij vel alterius cuiuslibet, a syndicatione fuerint absoluti. Iurabunt autem prædicti tres viri bona fide syndicare præfatos de omnibus supradictis.

Statuta his constitutionibus adversa delentur.

Cæterum teneatur Potestas siue Capitaneus, Consul, aut quivis Rector cuiuslibet civitatis vel loci, delere seu abradere penitus de statutis, & capitularibus Communis, quodcumque statutum conditum vel condendum inveniatur contradicere istis constitutionibus seu statutis & legibus memoratis, siue quomodolibet obviare. Et in principio, & in medio sui regiminis hæc statuta seu constitutiones & leges ipsos in publica concione solemniter facere recitari: & etiam in alijs locis extra civitatem suam seu locum, siue diocesani, seu inquisitoribus siue inquisitori videbitur expedire.

Hæc constitutiones publice recitentur. Exdem in 4. libris scribantur.

Porro hæc omnia statuta seu constitutiones, & leges præfate, & si quæ alia contra hæreticos & eorum complices tempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicæ conderentur, in quatuor voluminibus vnus debeant tenoris contineri, quorum vnum sit in statuto communis cuiuslibet civitatis seu loci: secundum apud diocesanos; tertium apud Fratres Prædicatores; quartum apud Fratres Minores cum omni sinceritate seruentur, ne possint per fallarios in aliquo violari, Datum Perusij iij. Non Nouemb. Pontificatus nostri anno primo.

De Cur. Ger. p.

N I C O L A V S III.

Pars multe feruntur in hereticos & eorum complices, quæ etiam continentur in titulis de hereticis in Decretalibus & Sexuo. Eiusdem argumenti prorsus extat aliud rescriptum Gregorij IX. Innocentij III. & Alexandri III. relata ab Eymérico in directorio inquisitorum pariz.

Edita anno Domini 1181.

Ex Archivo Inquisitionis Bononiensis.

Excommunicamus e. de hereticis.



N I C O L A V S Episcopus servus servorum Dei; vniuersis Christi fidelibus, Salutem & Apostolicam benedictionem.

N O V E R I T vniuersitas vestra, quod nos excommunicamus & anathematizamus vniuersos hæreticos Catharos, Patarienos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepianos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censentur, facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in id ipsum. Damnati vero per Ecclesiam seculari iudicio relinquuntur animaduersione debita puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam penitentiam in perpetuum carere detendantur. Credentes autem eorum erroribus, similiter hæreticos iudicamus. Item receptatores, defensores, & fautores hereticorum excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Similiter statuentes vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum extunc ipso iure sit factus infamis; nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis; nec testamenti habeat factionem; nec ad hæreditatis successorem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententiâ nullam obtineat firmitatem; nec cause aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur.

Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed eum auctore damnato

**A** damnato damnentur. & in similibus idem precipimus obseruari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati, cuitate contempserint, excommunicationis sententia percillantur, aliàs animaduersione debita puniendi. Qui autem inuenti fuerint sola suspitione notabiles, nisi iuxta considerationem suspitionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint; anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quòd si per annum in excommunicatione persistierint, tunc velut hæretici condemnentur. Item proclamationes, aut appellationes huiusmodi personarum minime audiantur. Item iudices, aduocati, & notarij, nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint priuati. Item clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta: nec elemosynas aut oblationes eorum recipiant; similiter hospitalij, aut templarj, aut quilibet regulares, alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Item quicumque tales præsumpserint Ecclesiasticæ trade re sepulturae, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi proprijs manibus publice extumulent, & proiciant huiusmodi corpora damnatorum: & locus ille perpetuo cateat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel priuatum de fide catholica disputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hæreticos sciuerit, vel aliquos occulte conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita & moribus distantes, eos studeat iudicare confessori suo, vel alij quem credat ad prælati sui & inquisitorum hæreticæ prauitatis notitiam peruenire: alioquin excommunicationis sententia percillatur. Hæretici autem & receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filij, vsque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur. quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim prædictos ex nunc priuamus beneficijs acquisitis, volentes vt tales & habitis perpetuo careant, & ad alia similia nequaquam in posterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem, nullius esse momenti volumus: quorum patentes post emancipationem huiusmodi, adiuium superstitionis hæreticæ, à via declinasse conluerit veritatis. Dat. apud Urbem Veterem v. Non. Martij, Pontificatus nostri anno quarto.

c. 2. S. hæretici. de hz. lib. 6.

NICOLAUS † PAPA.

*Prædicari iubet Euangelium Iudæis in terris Christianorum commorantibus, vt pulsa perfidia, Christianæ religionis veritatem agnoscat: conuersi ex Iudaismo prælati & dominis temporalibus debent commendari, & humanissime tractari, nec debent molestari in personis aut rebus: qui conuerti noluerint, summo Pontifici sunt nuntiandi, vt opportunum remedium circa tales adhibeatur.*

**N**ICOLAUS Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Priori Prouinciali fratrum Prædicatorum ordinis in Lombardia, Salutem & Apostolicam benedictionem.

VINEAM Soreth velut electam plantauit dextera Dei patris, & omne semen verum seminauit in ipsa, Angelica custodia sepiuit illam, lapides noctuos abiecit ex ea.

Hanc de Aegypto in luto & latere, sub iugo Pharaonis oppressam in signis & prodigijs transferens, dux itineris eius existens, in terram promissionis adduxit. Vineam enim Domini exercituum domus Israel est, viri Iuda delectabile germen eius. Hanc sic mire translata, quasi adhuc rudem campum vomere legali proscindens, prophetali doctrina fulcauit, & vt ipsam ad maturam frugem, id est, ad regenerationis gratiam præpararet. Sed, proh dolor, peccatorum spinis obsita, nullum imbrem gratiæ spiritualis excipiens, quæ sperabatur vt vvas educeret, labruscas eduxit, vnde sperabatur iudicium, processit iniquitas, vnde iustitia, inde clamor. Hæc est vinea in qua fici arbor, scilicet synagoga Iudæorum plantata, Euangelica veritate describitur; cuius plantator Christus, cæterus Apostolicus † cultor existit. Hæc triplici tempore, quasi tribus annis, vt fructum produceret expectata, instructuosa reperta, cultori succidenda prædicitur. Nam nec tempore circumcisionis ad perfectum deducta est, quia circumcissionem animæ non quærebat: nec sanctificata per legem, quia per eam tantum carnalia sequebatur: nec tandem iustificata per Euangelij gratiam, quia gratiam recipere noluit: quin potius latorem gratiæ iustum, iniuste peremit, & quodammodo indurationem Pharaonis excedens, omne curantis & curæ refutauit antidotum; adeo vt nec verbis, nec signis, nec Sacramentis, quinimmo nec ipsa Christi, & Dei corporali præsentia molliretur. Multifarie enim, multisque modis, olim Deus loquens antiquis ipsius synagoga patribus in prophetis, nouissime in sine temporum, locutus est ipsi & nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sacula: sed omnem elcam abominata est anima eius: & idcirco iuste iusto Dei iudicio reprobata, exterminauit eam aper de silua, & singularis fetus depastus est eam. Ablata est sepes eius, prosternata maceries, & in direptionem posita vt deserta: nec inuentus est in terris amplius locus eius.

Verum quia miserationes Dei super omnia sua opera prædicantur, qui omnes saluos fieri, & neminem vult perire, qui se ipsum pro nobis & ipsis hostiam salutis exhibuit Deo patri: qui exaltatus à terra, expansis in cruce manibus, ad se cuncta trahere Euangelica voce prædixit.

† Cuius Nicolai sit hoc elegans scriptum, nondum nobis constat, quia ex Archetypo, cordula vetustate corrola, plumbum appensum occiderat: quia tamen non desunt coniectura Nicolai III. esse, ideo hic restitutum, alij Nicolai III. esse suspicantur. Ex Archivio Inquisitionis Bononiensis.

† forte, Apostolici.

Ad Hebræos c. 2.

Psal. 106. vsq. 144.

1 Tim. 2. Ioan. 22.